



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

4. Kaiser Heinrich VI. bestätigt die von Markgrafen Otto und seinem Bruder geschehene Uebertragung ihrer Erbgüter an das Erzstift Magdeburg, am 9. Juli 1197.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56597)

3. Eidliche Versicherung des Markgrafen Otto von Brandenburg und des Grafen Albert über die von ihnen an das Erzstift Magdeburg vorgenommene Uebergabe, vom Jahre 1196.

Ego Otto, Brandenburgensis marchio, data fide promitto et iuramento confirmo, quod donationem prediorum meorum, que ecclesie Magdeburgensi tradidi, ratam tenebo, et in omni iurisdictione et foro seculari, ubi necesse fuerit, eandem donationem secundum quod ius fuerit, stabiliam et legitime confirmabo, et de ipsis bonis ecclesiam Magdeburgensem contra omnes, qui eam super his impetiverint, secundum iustitiam warent habo, bona fide, sine fraude, pro iure ecclesie staturus, sic me Deus adiuuet et sancti eius.

Ego Albertus comes, data fide promitto et iuramento confirmo, quod donationem prediorum, et fratris mei, que ecclesie Magdeburgensi tradidimus, ratam tenebo etc. ut supra.

Buchholz Geschichte der Churm. Thl. IV. Urk.-Anh. S. 38. Ludwig's Reliqu. XI. 599. Beysen Magazin II, 91 und Besmann's Beichr. V, I, 23.

4. Kaiser Heinrich VI. bestätigt die von dem Markgrafen Otto und seinem Bruder geschehene Uebertragung ihrer Erbgüter an das Erzstift Magdeburg, am 9. Juli 1197.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Henricus, diuina fauente clementia Romanorum imperator semper Augustus et rex Sicilie. Votis, que ad nostre maiestatis audientiam porrecta fuerint, eo libentius imperialis magnificentie impertimur honorem, quo in sanctarum ecclesiarum utilitatibus adicitur, nec tamen rationi seu iuris ordini aliquatenus obuiatur. Ea propter uniuersitati presentium et futurorum noticie declaramus, quod dilecti nostri viri nobiles, Otto, Brandenburgensis marchio, et comes Albertus, frater eius, ad profectum salutis animarum suarum predia sua quecumque in ducatu Tranfalbino, seu Marchia Brandenburgensi et in omnibus comitatibus ad ipsam marchiam pertinentibus, nec non et in comitatibus Theodorici illustris de Somerschenburg et nobilis uiris Ottonis de Falkenstein comitum habuerunt, uterque de alterius compromisso et consensu mutuo sanctissimo martyri Mauritio et Magdeburgensi ecclesie, et uenerabili Ludolfo, eius archiepiscopo, contulerunt, sicut litere ipsorum ad nostram presentiam directe manifestius expresserunt. Iurauerunt etiam fratres predicti, bonorum eorundem traditionem per ipsos factam ratam tenere, et Magdeburgensem ecclesiam de his bona fide sine dolo ad iustitiam warenthare. Petiuerunt quoque iidem fratres a nostra cellitudine bona eadem Magdeburgensi ecclesie, maiestatis nostre priuilegio confirmari. Nos igitur predictorum marchionis et

fratris eius traditionem diualis pagine nostre munimine roborantes, bona eadem Gardelege scilicet et Saltuedel tam castra, quam oppida, cum omnibus pertinentiis et iure utrumque, ciuitatem Stendale et preposituram cum suis attinentiis, et hec oppida Sehufen, Bambiffen, Wirbeni, cum omnibus pertinentiis et iure singulorum, Item medietatem Burchwardi Calue cum suis attinentiis et predia, quecunque in antiquo seu nouo prato iidem fratres habuerunt, seu in his Arneburg, Osterburg et Tangermunde Burchwardis: item nouam ciuitatem Brandenburg et terram adiacentem, que fuche uocatur, cum omnibus eius territoriis: Item Stichboie et quandam partem Cherebift cum pertinentiis utriusque: Item Hunoldesburg, Hildagesburg, Cheburg cum pertinentiis ipsorum. Hec expressa predia et alia quecunque iidem fratres Magdeburgenfi ecclesie tradiderunt, ipsi ecclesie et Ludolfo uenerabili eius archiepiscopo suisque successoribus, auctoritate nostra et presentis priuilegii patrocinio, in perpetuum confirmamus, saluo per omnia iure imperiali. Statuimus igitur et pragmatico sancimus edicto, ut nulla omnino uel humilis uel alta, secularis uel ecclesiastica persona contra hanc maiestatis nostre concessionem et confirmationem uenire presumat, uel eam attentet aliquatenus perturbare. Quod si quis facere presumpserit, in ultionem temeritatis sue, centum libras auri puri pro pena componat, dimidium camere nostre, et reliquum passis iniuriam. Ad cuius rei certam imposterum euidenciam presentem paginam inde conscribi iussimus, et maiestatis nostre sigillo aureo communiri. Huius rei testes sunt Stephanus Pathensis episcopus, Theodoricus Traiectensis ecclesie prepositus, Gerhardus rector Sulibitane ecclesie, Albertus protonotarius, Conradus maior in Moguntia prepositus, Theodoricus prepositus de Kerpene, Fridericus dux auftrie, Ludowicus dux Bauarie, Conradus dux Spoleti, Otto comes de Henneberg, Henricus illustis dominus Auftrie, Marquardus senescalcus, marchio Ancone, dux Rauenne, Arnoldus de Horemberg, Henricus pincerna de Lutra et alii quam plures. Signum domini Henrici VI. Romanorum imperatoris inuictissimi et regis Sicilie. Ego Conradus Hildesheimensis episcopus, imperialis aule cancellarius, una cum domino Gualdo Troiano Episcopo et regni Sicilie cancellario recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCXCVII. Indictione XV. regnante domino Henrico VI. Romanorum imperatore gloriosissimo ac potentissimo rege Sicilie, anno regni eius XXVIII., imperii uero VII. et regni Sicilie III. Datum in Linaria, iuxta pactum in Sicilia VII. Idus Iulii.

Beckmann's Besch. d. Mark Br. V, I, 1, 24. Ludewig Reliq. XI, 600. Sagittar. 6. Boyfen II, 92.